



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.52. Concilium Narbonense.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

minus eruditionem & continuam Scri-
pturæ & SS. Patrum lectionem prodit.
In eo refertur Symbolum seu Fidei Con-
fessio Elipandi, ubi de Trinitate loquens
dicit, quod tres Personæ sint, Deus, Prin-
cipium & Spiritus Sanctus. Atque eo-
rum unionem cum conjunctione animo-
rum Mariti & Uxoris, & multarum ani-
marum Charitate unitarum confert.
Unde conjunctionem in Divinis tantum
moralem admittere videtur. Deinde
de Incarnatione differens, errorem suum
simpliciter manifestat, dicitque, JESUM
Christum solummodo esse Filium adopti-
vum Dei secundum suam Humanitatem,
& Deum non per illum, qui natus est ex
Virgine, atque adoptione & gratia Filius
est, res visibiles invisibilesque creasse,
sed per illum, qui Natura Filius est. Quod
dicere Nestoriana est Hæresis.

Sæcul. VIII.
A. C. 791.

Lib. I. p. 363.

Beatus scripsit quoque Commenta-
rium in Apocalypsim, qui ad nos usque
non pervenit, atque in Monasterium de
Valcavado lingua illius regionis dictum
se recepit, ubi decimo nono Febr. anno
798. in pace quievit. Ibidem inter San-
ctos sub nomine *S. Bienco* colitur.

v. Boll. to. 5.
p. 146.

§. LII.

Concilium Narbonense.

Cum Carolus Rex Imperii sui fines us-
que in Hispaniam protulisset, & Ur-
gella

Sæcul. VIII. gella sub ejus Ditione esset, de erroribus
 A. C. 791. Felicis monitus Concilium Narbonæ vi-
 gesimo septimo Junii, anno Regni sui vi-
 gesimo tertio Christi septingentesimo
 nonagesimo primo convocari jussit. In
 10.7. Conc. p. Actis dicitur, Episcopos convenisse ad
 964. v. Coint. an. 791. n. II. discutiendas plures & diversas causas
 12. Ecclesiasticas præsertim vero exitiosum
 dogma Felicis Urgellitani, id per Episto-
 las suas mandante Hadriano Papa, &
 hortante Regis Legato, cui nomen Desi-
 derius, atque in Synodo præsentis. Tunc
 temporis Urgella Ecclesiæ Metropolitanæ
 Narbonensi suberat, cumque gravissi-
 mi momenti ageretur negotium Episco-
 pis ex septem Provinciis vicinis Arela-
 tensi, Aquensi, Embrodunensi, Viennen-
 si, Bituricensi, Burdegalensi, & Augusta-
 na Auscionensi confluentibus viginti sex
 adfuere Antistites, quibus præerant Ar-
 chiepiscopi duo Daniel Narbonensis, &
 Elifantus Arelatensis, cui cum Elipando
 Toletano idem nomen fuisse videtur.
 Non dispici potest, quid in hac Synodo
 actum fuerit in causa Felicis, in ea præ-
 sentis, & cui ordine decimus tertius sub-
 scripsit. Sed ex Actis Conciliorum se-
 quentium, in quibus judicatus est, con-
 jiciendum, in Concilio Narbonensi nihil
 antea de eo fuisse pronunciatum. Acta
 hujus Concilii, quæ nobis supersunt, so-
 lummodo memorant sententiam latam
 in

in diversis causis privatis inter Archiepiscopum Narbonensem & Episcopos Eltensem & Biterrensem ob limites eorum Diocesium & jurisdictionem Archiepiscopi ultra montes Pyrenæos agitatis.

§. LIII.

Concilium Forojuliense.

Eodem anno septingentesimo nonagesimo primo Error Felicis & Elipandi etiam in Concilio Forojuliensi, a Paulino Patriarcha Aquilejensi celebrato damnatus est. Rex Carolus hoc anno propitio Numine bellum moverat in Avaros seu Hunnos, quippe has duas Gentes Historici confundunt. Amplius enim ferre non poterat æqui amantissimus Rex insolentiam Barbarorum Ecclesiis & Christianis insultantium, præsertim postquam Christiani petiissent, ut sibi damna illata compensarentur, & non obtinuissent. Ergo preces imperat, jejunia, & per triduum supplicationes procedentis populi nudis pedibus, quo Dei auxilium efflagitaretur. Tum exercitum bipartito agmine in utraque Danubii ora immittit in barbaros. Illi terrore perciti in loca inaccessa diffugiunt. Franci nemine obistente regionem depopulantur, prædas agunt, captivorum multitudinem infinitam abstrahunt. In adversa quoque regione exercitus Italiæ Avaros acie vincit

Sæcul. VIII.
A. C. 791.

*Ann. Loysel.
Lauresch.
Berti. Me-
ten. an. 791.*

*Epist. ad
Fastr. to. I.
cap. p. 255.*